

suo profer iudicium. Si enim in genitura pericula ab ipso decreta fuerint, tunc exequitur quicquid in genitura decreuerat. Nam si orbitatem decreuerat, tunc miseram filiorum sobolem crudeli potestate prosequitur. Si uiduitatem, tunc matrimonium aut morte, aut dissensione interrumpit. Si accusationes, tunc inimicorum suscitaturbas. Si ægritudines, tunc uicium miseræ ualitudinis infligit. Si damna, tunc patrimonium uarijs lacerationibus discutit. Si uero bene fuerit collocatus, & prosperum aliquid in genitura decernebat, condonationis suæ secutus potestatem, tunc reddit quidquid ante promiserat, præsertim si genituræ dominum bene collocatus in diurna genitura respexerit.

Saturnus & Iupiter uitæ moderatores, si malè sint in genitura positi, & per ipsos periculum, uel ægritudo aut damnum, uel infortunium decretum fuerit, tunc omnes periculorum minæ salutaris dei potestate mitigantur. Si uero bene constitutus in genitura Iupiter, deputatum sibi à Saturno tempus acceperit, maxime foelicitatis incrementa largitur, præsertim si fuerit diurna genitura, & ipse Iupiter in bonis signis, uel partibus positus, falciferum trigono, uel aliàs foelici respexerit radiatione.

Saturnus & Mars, decenniorum moderator deputatum hic sibi à Saturno tempus accipiens, omni malicia sopita, læti decernit temporis gaudium. Inuicem enim sese ex contrarijs uirtutum suarum potestatibus mitigant.

Saturnus & Sol, causas concitant, & iurgiorum contentiosa certamina, sed ipsæ causæ ex maxima parte de domorum, aut fundamentorum proprietatibus inferuntur, præsertim si nocturna genitura. Idem & patri uitæ periculum denunciant, sic genito autem dignitatis iacturam afferent.

Si fuerit Chronocratores Saturnus & Venus, Venus deputatum sibi à Saturno tempus arrogans, ab omni quidem infortunio separat, ita ut præcedentis discriminis, quod alterius forsitan stellæ malicia perpetrasset, incursum saluari remedio corrigatur. Quod si ipsa Venus nuptias decernit, ita genitis perpulchram dabit uxorem, si autem mulieris fuerit genitura, uiro, aut uidua tunc nuptiali uinculo rursus copulabitur.

A Saturno gubernationem temporis accipiens Mercurius, ueterum causarum sopitas excitabit similitates, & latentia contentionum iurgia reuiuuis rursus actionibus faciet inferri, & suscitari, aut ex scripturis, uel mercibus, fortunaarumq; rapinis detrimenta proferet.

Saturnus, Lunæ temporis gubernationem communicans ex uiciosis humoribus ægritudines concitabit, aut ex aqua maximum periculi discrimen impinget, aut nouarum faciet litium denunciatione deturbari, ita ut omne hoc tempus uaria pericula, & uarias sollicitudines sæpius inducat. Sed hæc si fuerit Luna plæna luminibus, si autem minuta lumine in genitura extiterit, hostilibus falciferi radijs pulsata, cū miseris calamitatibus infœlicissimæ mortis minatur incommoda, atq; discrimina.

### De Ioue Chronocratore.

**I**UPITER temporum, siue decennij dominus, foelicitatis gloriam, ac læticias (pro genituræ mensura) decernit, præsertim si ipse genituræ dominus fuerit, tunc enim cuiuscunq; aut nuptiæ, aut filij decreti fuerint, si tempus ætatis admiserit, cum maxima ratione perficiet, glorias etiam & honores, atq; patrimonij augmenta largitur.

Iupiter cum Saturno Chronocrator, pigra homines conuersatione faciet semper hæbetari, ita ut in omnibus actibus inertis frigoris torpore deficient, præsertim si sit nocturna genitura, & in genitura positus Saturnus malè sit affectus.

Iupiter cum Marte temporis gubernacula fortitus, omnem uitæ ac negotiorum ordinem mutat, & quidquid præcedenti negotiorum dispositione tractatur, ad alte